

de benedictionibus et metet vitam eternam. Proindè ego Leo, Dei et Romani imperii gracia, rex Armenie, filius Stephani de potenti et magnifico genere Rupinorum, notum facio omnibus hominibus presentibus et futuris; quod de bonis mihi de super concessis et collatis, pro amore Dei et imperii Romani, sub cuius potestatis gracia rex sum constitutus, et pro salute anime mee, progenitorum meorum omnium, venerabilibus et religiosis fratribus sancte domus Hospitalis Teutonicorum, vicem Machabeorum pro defensione domus Israel gerentibus, de quorum sum confraternitate et in quorum beneficiis ac oracionibus particeps effici cupio atque bonorum meritorum suorum exigencia ad captandam illorum sinceram dilectionem et mutuam benivolenciam; regali ex munificencia mea claro corde, bono et puro animo, dono et concedo amodo in perpetuum per optima et amplissima casalium et terrarum tenimenta, eo quod arbitror tam preclaram elemosinam inibi bene fore collocatam. In primis, famosum castellum *Amudam* nomine, et casale inferius sibi adherens nominatum cum pertinenciis et divisionibus ipsius signatis in hunc modum: a parte *Simonaglajn*, tendit usque ad antiquum adaquarium²⁶¹, ubi duo sunt arbores salices et modo factus est laccus; dehinc usque rostrum de rocha media juxta gastinam que est de territorio *Adidy*. A gastina illa superius ascenditur usque ad *Quilli*²⁶² quod dicitur latine *meta de Gammassa*. Alla divisio inter Gammassa et Amudayn tendit ad cavam, ubi est arbor dicta *chaisne spinosa*²⁶³ et abbacia *Chalot*²⁶⁴ et agger *vinee de Mechale*, et extenditur meta usque viam. Alia divisio inter *pastores*²⁶⁵, et Amidain tendit usque ad collem, ante quem collem, sunt duo rubi salvatici et arbor morarius; de hinc tendit usque ad gastinam dictam *Dagie* et extenditur usque ad *Zamga*²⁶⁶, de hinc usque ad lacum *Heliha* et *Ioh*; et inter *Ioh* et *Ramam* est quedam cava divisa.

²⁶¹ Cet antique réservoir recevait l'eau de la montagne par l'un des aqueducs qui se voient encore aujourd'hui près d'Anazarbe (*Voyage en Cilicie*, page, 437).

²⁶² Il est évident que ce mot est altéré; car les Arméniens pour désigner dans leur langue, la borne ou la limite, emploient les expressions եֶղփ, սահման, etc.

²⁶³ Le chêne-houx, *quercus ilex*.

²⁶⁴ Les pasteurs dont il est ici question, sont sans doute, des nomades qui campaient dans la plaine d'Adana, et qui appartenaient à l'une des tribus turkomanes qui, plus tard firent la conquête d'une partie de la Cilicie, sous le commandement d'El-Rhamadan-oglu.

²⁶⁵ Ceci est douteux: je crois que *pastores* cache un nom propre. — Note de l'Ed.

²⁶⁶ Probablement c'est le fort Jamnig Ճամնիկ v. p. 64. — Note de l'Ed.